



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

X. De pluribus beneficiis curam animarum habentibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

X.

Item cum in nostro prouinciali Concilio proxime celebrato clericis plura beneficia curam animarum habentibus duxerimus iniungendum, vt infra certum terminum & tempus dispensationis suæ fidem nobis facerent, vt vltimo eis remanente beneficio iuxta Lateranense Concilium prioribus essent ipso iure priuati, ex superabundanti expectantes expectauimus vsque modo. Quare volumus districte præcipientes, vt durante tempore præsentis nostri Concilii literas suæ dispensationis nobis exhibeant; alioquin quod prius contra tales beneficiatos statutum est efficaciter exequemur, huiusmodi beneficia tamquam de iure vacantia personis idoneis conferendo.

XI.

Item licet rectoribus ecclesiarum qui a residentia excusantur mandauerimus in proximo Concilio, quatenus personas idoneas ordinarent in ecclesiis suis in perpetuos vicarios institui, ac locari trimestri tempore ad hoc exequendum indulto: tamen quia in hoc exhibuerunt se aliqui negligentes, nos institutionem huiusmodi vicariorum, seu locationem ecclesiarum, simul & moderamen præbendarum, præcise ad nostram prouidentiam reuocamus, sublata eis omni circa prouisionem huiusmodi potestate, vt sic puniantur ex eo in quo delinquere præsumperunt.

XII.

Item sub velamento aduocationis nonnun-